

diuturna, sed etiam quod sit per totam vitam.

1. Possessiones enim ad conservationem naturalis vite ordinantur: & quia naturalis vita, quae conservari non potest in patre perpetuo, quasi quadam successione secundum speciei similitudinem conservatur in filio secundum naturam; est conveniens ut in his quae sunt patris, succedat & filius. Naturale est igitur ut sollicitudo patris ad filium maneat usque ad finem vite suae. Si igitur sollicitudo patris de filio cansat etiam in avibus commanentiam maris & foeminae, ordo naturalis requirit quod usque ad finem vite in humana specie pater & mater simul commaneant. Videtur etiam aequitati repugnare, si praedicta societas dissolvatur: foemina enim indiget mare non solum propter generationem, sicut in aliis animalibus, sed etiam propter gubernationem: quia mas est & ratione perfectior, & virtute fortior; mulier vero ad viri societatem assumitur propter necessitatem generationis. Cessante igitur fecunditate mulieris, & decore, impeditur ne ab alio assumatur. Si quis igitur mulierem assumens tempore juventutis, quo & decor, & fecunditas ei adsunt, eam dimittere posset postquam aetate provecata fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem aequitatem.

2. Item. Manifeste apparet inconveniens, si mulier virum dimittere posset, cum mulier naturaliter viro subiecta sit tamquam gubernatori. Non est autem in potestate eius qui alteri subicitur, ut ab ejus regimine discedat. Contra naturalem igitur ordinem esset, si mulier virum deserere posset. Si ergo vir deserere posset mulierem, non esset aequa societas viri ad mulierem, sed servitus quaedam ex parte mulieris.

3. Praeterea. Naturalis quaedam sollicitudo inest hominibus de certitudine prolis: quod propter hoc necessarium est, quia filius diuturna patris gubernatione indiget. Quaecumque igitur certitudinem prolis impediunt, sunt contra naturalem instinctum humanae speciei. Si autem vir posset mulierem dimittere, vel mulier virum, & alteri copulari, impediretur certitudo prolis, dum mulier a primo cognita, postmodum a secundo cognosceretur. Est igitur contra naturalem instinctum speciei humanae quod mulier a viro separatur. Sic igitur non solum diuturnam, sed individuam oportet esse in humana specie maris & foeminae conjunctionem.

4. Amplius. Amicitia quanto major est, tanto debet esse firmiter, & diuturnior. Inter virum autem & uxorem maxima amicitia esse videtur: adunantur enim non solum in actu carnalis copulae, quae etiam inter bestias quadam suavem amicitiam facit, sed ad totius domesticae conversationis consortium: unde in signum hujus, homo propter uxorem & patrem, & matrem dimittit, ut dicitur Gen. 11. Inconveniens est igitur quod matrimonium sit omnino dissolubile.

Uterius autem considerandum est, quod inter naturales actus sola generatio ad bonum commune ordinatur: nam comestio, & aliarum superfluitatum emissio ad individuum pertinent, generatio vero ad conservationem speciei. Unde cum lex instituitur ad bonum commune, ea quae pertinent ad generationem prolis, oportet legibus ordinari & divinis, & humanis. Leges autem positae oportet quod ex naturali instinctu procedant, si humanae sunt, sicut & in scientiis demonstrativis omnis humana inventio ex principiis

(1) Matth. loc. cit. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mactatur. I. autem Corint. VII. 10. Iis autem qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.

piis naturaliter cognitis initium sumit; si autem divinae sunt, non solum instinctum naturae explicant, sed etiam defectus naturalis instinctus supplent, sicut ea quae divinitus revelantur, superant naturalis rationis capacitatem. Cum igitur instinctus naturalis sit in specie humana ad hoc quod conjunctio maris & foeminae sit individua, & quod sit una unius; oportuit hoc lege humana ordinatum esse. Lex autem divina supernaturalem quamdam rationem apponit ex significatione inseparabilis conjunctionis Christi & Ecclesiae, quae est una unius. Sic igitur inordinationes circa actum generationis non solum instinctui naturali repugnant, sed etiam leges divinas, & humanas transgrediuntur: unde ex hoc etiam magis circa hoc peccatur ex inordinatione quam circa sumptionem cibi, aut alterius hujusmodi. Quia vero necesse est ad id quod est optimum in homine, alia omnia ordinari, conjunctio maris & foeminae non solum sic est ordinata legibus secundum quod ad prolem generandam pertinet, ut est in aliis animalibus, sed etiam secundum quod convenit ad bonos mores; quos ratio recta disponit vel quantum ad hominem secundum se, vel secundum quod homo est pars domesticae familiae, aut civilis societatis. Ad quos quidem bonos mores pertinet individua conjunctio maris & foeminae: sic enim fidelior amor unius ad alterum erit, dum cognoscunt se indivisibiliter conjunctos: erit etiam utriusque sollicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuo commansuros in eorumdem rerum possessione aestimant; subtrahuntur etiam ex hoc discordiarum origines, quas oporteret accidere, si vir uxorem dimitteret, inter eum & propinquos uxoris; & fit firmiter inter affines dilectio: tolluntur etiam adulteriorum occasiones, quae darentur, si vir uxorem dimittere posset, aut e converso: per hoc enim daretur via facilior sollicitandi matrimonia aliena.

Hinc est quod dicitur Matth. XIX. 9. & I. Corint. VII. 10. (1) Ego autem dico vobis, uxorem a viro non discedere.

Per hoc autem excluditur consuetudo dimittentium uxores; quod tamen in veteri lege permissum fuit. Judaeis propter eorum duritiam, quia scilicet praeconi erant ad occisionem uxorum. Permissum ergo fuit minus malum ad excludendum majus malum.

C A P U T CXXIV.

Quod matrimonium debeat esse unius ad unam.

Considerandum autem videtur, quod innatum est mentibus omnium animalium quae coitu utuntur, quod consortium in compari non compatiuntur: unde propter coitum pugnae in animalibus existunt. Et quidem quantum ad omnia animalia est una communis ratio: quia quodlibet animal desiderat libere frui voluptate coitus; sicut & voluptate cibi: quae quidem libertas impeditur per hoc quod ad unam plures accedant, aut e converso; sicut in libertate cibo fruendi impeditur aliquod animal, si cibum quem ipsum sumere cupit, aliud animal usurper: & ideo similiter propter cibum, & propter coitum animalia pugnant. In hominibus autem est ratio specialis. Quia, ut dictum est, homo naturaliter desiderat certum esse de prole: quae quidem certitudo omnino tolleretur, si plures essent unius. Ex naturali igitur instinctu

(1) Ita exempla omnia quae vidimus. An legendum ex communiione originis, & connutritione amori concupiscentiae? ut innuere videtur in Commentariis Ferrariensis. (2) Vulgata ad proximum.

instinctu procedit quod sit una unius. Sed in hoc differentia consideranda est. Quantum enim ad hoc quod una foemina a pluribus maribus non cognoscatur, utraque praedictarum rationum concurrunt; sed quantum ad hoc quod unus mas plures foeminas non cognoscatur, non facit ratio secunda. Non enim certitudo prolis impeditur, si unus mas plures foeminas cognoscatur; facit autem contra hoc ratio prima. Nam sicut libertas utendi foemina tollitur a mare, si foemina habeat alium; ita & eadem libertas a foemina tollitur, si mas habeat plures: & ideo quia certitudo prolis est principale bonum quod ex matrimonio quaeritur, nulla lex, aut consuetudo humana permisit quod una esset plurium uxor. Fuit etiam hoc inconveniens reputatum apud antiquos Romanos, de quibus refert Valerius (Lib. II. de memorabilibus dictis cap. 1.) quod credebant nec propter sterilitatem fidem conjugalem debere dissolvi.

2. Item. In omni animalis specie in quo patri inest aliqua sollicitudo de prole, unus mas non habet nisi unam foeminam, sicut patet in omnibus avibus quae simul nutriunt pullos: non enim sufficeret unus mas auxilium praestare in educatione prolis pluribus foeminis. In animalibus autem in quibus maribus nulla est sollicitudo de prole, indifferenter mas habet plures foeminas, & foemina habet plures mares; sicut in canibus, gallinis, & hujusmodi. Cum autem masculo inter omnia animalia sit magis cura de prole in specie humana, manifestum est quod naturale est homini quod unus mas unam foeminam habeat, & e converso.

3. Adhuc. Amicitia in quadam aequalitate consistit. Si igitur mulieri non licet habere plures viros, quia hoc est contra certitudinem prolis, liceret autem viro habere plures uxores; non esset liberalis amicitia uxoris ad virum, sed quasi servilis. Et haec etiam ratio ex perimento comprobatur: quia apud viros habentes plures uxores, uxores quasi ancillae habentur.

4. Praeterea. Amicitia intensa non habetur ad multos, ut patet per Philosophum in VIII. Ethic. cap. v. Si igitur uxor habet unum virum tantum, vir autem plures uxores, non erit aequalis amicitia ex utraque parte. Non igitur erit amicitia liberalis, sed quodammodo servilis.

5. Amplius. Sicut dictum est, matrimonium in hominibus oportet ordinari secundum quod competet ad bonos mores. Est autem contra bonos mores quod unus habeat plures uxores: quia ex hoc consequitur discordia in domestica familia, ut experimento patet. Non est igitur conveniens quod unus homo habeat plures uxores.

Hinc est quod dicitur Gen. II. 24. Erunt duo in carne una.

Per hoc autem excluditur consuetudo habentium plures uxores, & opinio Platonis, qui posuit uxores debere esse communes: quem in nova lege secutus est Nicolaus, unus ex septem diaconibus.

C A P U T CXXV.

Quod matrimonium non debeat fieri inter propinquos.

Propter hujusmodi etiam causas rationales ordinatum est legibus quod certae personae a matrimonio excludantur quae secundum originem sunt conjunctae.

1. Nam cum in matrimonio sit diversarum per-

(1) Ita exempla omnia quae vidimus. An legendum ex communiione originis, & connutritione amori concupiscentiae? ut innuere videtur in Commentariis Ferrariensis. (2) Vulgata ad proximum.

sonarum conjunctio, illae personae quae debent se reputare quasi unum propter eandem originem, convenienter a matrimonio excluduntur, ut dum se per hoc unum esse recognoscunt, ferventius se diligant.

2. Item. Cum ea quae inier virtum & uxorem aguntur, quamdam naturalem verecundiam habeant; ab his mutuo agendis illas personas prohiberi oportuit quibus propter conjunctionem sanguinis reverentia debetur. Quae quidem ratio videtur in veteri lege inducitur, propter hoc quod dicitur Levit. XVIII. 9. Turpitudinem sororis tuae non discoperias; & similiter de aliis.

3. Praeterea. Ad corruptionem bonorum mortum pertinet quod homines sint nimis dediti voluptatibus coitus: quia cum haec voluptas maxime mentem absorbeat, impediretur ratio ab his quae recte agenda essent. Sequeretur autem nimis voluptatis usus, si liceret homini per coitum conjungi illis personis quibus commorandi habet necessitatem, sicut sororibus, & aliis propinquis: quia talibus occasio coitus subtrahi non posset. Conveniens igitur fuit bonis moribus ut talis conjunctio legibus inhiberetur.

4. Adhuc. Delectatio coitus maxime corrumpit aestimationem prudentiae. Multiplicatio igitur talis delectationis repugnat bonis moribus. Talis autem delectatio augetur per amorem personarum quae conjunguntur. Esset igitur contrarium bonis moribus, propinquis conjungi, quia in eis conjungeretur amor qui est ex communiione originis, (1) conjunctione amoris concupiscentiae; & multiplicato amore necesse est magis animam delectationibus subdi.

5. Amplius. In societate humana hoc est maxime necessarium ut sit amicitia inter multos. Multiplicatur autem amicitia inter homines, dum personae extraneae per matrimonia colligantur. Conveniens fuit igitur legibus ordinari quod matrimonia contraherentur cum extraneis personis, & non cum propinquis.

6. Adhuc. Inconveniens est ut illis personis aliquis socialiter conjungatur quibus naturaliter debet esse subiectus. Naturale autem est quod aliquis parentibus sit subiectus. Ergo inconveniens esset quod cum parentibus aliquis matrimonium contraheret, cum in matrimonio sit quaedam conjunctio socialis.

Hinc est quod dicitur Levit. XVIII. 6. Omnis homo (2) ad proximam sanguinis sui non accedat.

Per hoc autem excluditur consuetudo eorum qui propinquis suis carnaliter commisceri.

Sciendum est autem, quod sicut naturalis inclinatio est ad ea quae sunt ut in pluribus, ita & lex posita est secundum id quod in pluribus accidit. Non est autem praedictis rationibus contrarium, si in aliquo aliter possit accidere: non enim propter bonum unius debet praetermitti bonum multorum; cum bonum multitudinis semper sit divinius quam bonum unius. Ne tamen defectus qui in aliquo posset accedere, omnino absque medela remaneat, residet apud legislatores, & eis similes auctoritas dispensandi in eo quod communiter est statutum, secundum quod est necessarium in aliquo casu particulari. Et si quidem lex sit humana, per homines similem potestatem habentes dispensari potest. Si autem lex sit divinitus posita, auctoritate divina dispensatio fieri potest; sicut in veteri lege ex dispensatione indultum videtur uxores plures habere, & concubinas, & uxoris repudium.

(1) Ita exempla omnia quae vidimus. An legendum ex communiione originis, & connutritione amori concupiscentiae? ut innuere videtur in Commentariis Ferrariensis. (2) Vulgata ad proximum.

CAPUT CXXVI.

Quod non omnis carnalis commixtio sit peccatum.

1. Sicut autem contra rationem est ut aliquis carnali conjunctione utatur contra id quod convenit proli generandæ, & educandæ; ita etiam secundum rationem est quod aliquis carnali conjunctione utatur secundum quod congruit ad generationem, & educationem prolis. Lege autem divina hæc solum prohibita sunt quæ rationi adversantur, ut ex supradictis patet. Inconveniens est igitur dicere, quod omnis carnalis conjunctio sit peccatum.

2. Adhuc. Quum membra corporis sint quædam animæ instrumenta, cujuslibet membri finis est usus ejus, sicut & cujuslibet alterius instrumenti. Quorundam autem membrorum corporis usus est carnalis commixtio. Carnalis igitur commixtio est finis quorundam membrorum corporis. Id autem quod est finis aliquarum naturalium rerum, non potest esse secundum se malum: quia ea quæ naturaliter sunt ex divina providentia, ordinantur ad finem, ut ex supradictis patet. Impossibile est igitur quod carnalis commixtio sit secundum se mala.

3. Amplius. Naturales inclinationes insunt rebus à Deo, qui cuncta movet. Impossibile est igitur quod naturalis inclinatio alicujus speciei sit ad id quod est secundum se malum. Sed omnibus animalibus perfectis inest naturalis inclinatio ad conjunctionem carnalem. Impossibile est igitur quod carnalis commixtio sit secundum se mala.

4. Item. Illud sine quo non potest esse aliquid quod est bonum, & optimum, non est secundum se malum. Sed perpetuitas speciei non conservatur in animalibus nisi per generationem, quæ est ex commixtione carnali. Impossibile est igitur quod commixtio carnalis sit secundum se mala.

Hinc est quod dicitur I. Corinth. VII. 36. *Mulier non peccat, si nubat.*

Per hoc autem excluditur error quorundam dicentium omnem carnalem conjunctionem esse illicitam: unde totaliter matrimonium, & nuptias damnant: quorum quidam hoc ideo dicunt, quia credunt temporalia non à bono, sed à malo principio esse.

CAPUT CXXVII.

Quod nullius cibi usus est peccatum secundum se.

1. Sicut autem venerorum usus absque peccato est, si secundum rationem fiat; ita etiam & usus ciborum. Fit autem unumquodque secundum rationem, quando ordinatur secundum quod congruit debito fini. Finis autem debitus sumptionis ciborum est conservatio corporis per nutrimentum. Quicumque igitur cibum hoc facere potest, absque peccato potest sumi. Nullius igitur cibi sumptio secundum se est peccatum.

2. Adhuc. Nullius rei usus secundum se malus est, nisi res ipsa secundum se mala sit. Nullus autem cibus secundum naturam malus est, quia omnis res secundum suam naturam bona est, ut supra ostensum est; potest autem aliquis cibus esse alicui malus, in quantum contrariatur salubritati ipsius secundum corpus. Nullius igitur cibi sumptio, secundum quod est talis res, est peccatum secundum se; sed potest

(1) *Vulgata prohibentium* (2) *Vulgata: in pecunia, & thesauris.*

esse peccatum, si præter rationem aliquis ipso utatur secundum suam salutem.

3. Amplius. Uti rebus ad hoc ad quod sunt, non est secundum se malum. Sunt autem plantæ propter animalia; animalium vero quædam propter alia; & omnia propter hominem, sicut ex superioribus patet. Uti igitur vel plantis, vel animalium carnibus vel ad esum, vel ad quicquid aliud sunt homini utilia, non est secundum se peccatum.

4. Item. Defectus peccati ab anima derivatur ad corpus, & non è converso: peccatum enim dicimus secundum quod deordinatur voluntas. Cibi autem immediate ad corpus pertinent, non ad animam. Non igitur ciborum sumptio secundum se potest esse peccatum, nisi quatenus repugnat rectitudini voluntatis. Quod quidem contingit uno modo propter repugnantiam ad proprium finem ciborum; sicut cum aliquis propter delectationem quæ est in cibis, utitur cibis contrariantibus corporis salutem vel secundum speciem ciborum, vel secundum quantitatem. Alio modo secundum quod repugnat conditioni ejus qui utitur cibis, vel eorum cum quibus conversatur; puta cum quis accuratius cibis utitur quam sua facultas suscipiat, & aliter quam eorum mores habeant cum quibus convivit. Tertio modo secundum quod cibi sunt aliqua lege prohibiti propter aliquam causam specialem: puta, in veteri lege quidam cibi prohibebantur propter significationem: in Ægypto prohibebatur antiquitus comestio carnis bovina, ne agricultura impediretur vel etiam secundum quod aliqua regulæ prohibent aliquibus cibis uti ad concupiscentiam refrænantam.

Hinc est quod Dominus dicit Matth. XV. 11. *Quod intrat in os, non coquinat hominem;* & I. Cor. X. 25. dicitur: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam;* & I. Tim. IV. 4. dicitur: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*

Per hoc autem excluditur quorundam error qui usum quorundam ciborum secundum se dicunt esse illicitum: de quibus Apostolus dicit ibidem: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide... (1) prohibentes nubere, abstinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.*

Quia vero usus ciborum, & venerorum non est secundum se illicitus, sed solum secundum quod exit ab ordine rationis, illicitus esse potest; ea vero quæ exterius possidentur, necessaria sunt ad sumptionem ciborum, ad educationem prolis, & sustentationem familiæ, & ad alias corporis necessitates: consequens est quod nec secundum se etiam divitiarum possessio est illicita, si ordo rationis servetur, ita scilicet quod juste homo possideat quæ habet, & quod in eis finem voluntatis suæ non consistat, & quod eis debito modo utatur ad suam, & aliorum utilitatem.

Hinc est quod Apostolus I. Timoth. ult. 17. divites non condemnat, sed eis certam regulam divitiis utendi tradit, dicens: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum: bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare;* & Eccli. XXXI. 8. *Beatus divites qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperabit (2) in pecuniæ thesauris.*

Per hoc etiam excluditur quorundam error, qui (ut Augustinus dicit in Lib. de hæresibus) Apostolicos se arrogantissime vocaverunt, eo quod in suam com-

communione non acciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes; quales habet catholica Ecclesia & monachos, & clericos plurimos. Sed ideo isti heretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere qui utuntur his rebus quibus ipsi carent.

CAPUT CXXVIII.

Quomodo secundum legem Dei homo ad proximum ordinatur.

1. EX his ergo quæ dicta sunt, manifestum est quod secundum legem divinam homo inducitur ut ordinem rationis servet in omnibus quæ in ejus usum venire possunt. Inter omnia autem quæ in usum hominis veniunt, præcipua sunt etiam alii homines. Homo autem naturaliter animal sociale est: indiget enim multis quæ per unum solum pari non possunt. Oportet igitur quod ex lege divina instituat homo ut secundum ordinem rationis se habeat ad alios homines.

2. Adhuc. Finis divinæ legis est ut homo Deo adhaereat. Juvatur autem unus homo (3) in hoc ex alio tam quantum ad cognitionem, quam etiam quantum ad effectum: juvant enim se homines mutuo in cognitione veritatis, & unus alium provocat ad bonum, & retrahit à malo. Unde Proverb. XXVII. 17. dicitur: *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui;* & Eccles. IV. 9. *Mellus est duos (4) esse quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulciatur. Va soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo: unus quomodo calefit? Et si quispiam prevaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Oportuit igitur lege divina ordinari societatem hominum ad invicem.

3. Amplius. Lex divina est quædam ratio divinæ providentiæ ad homines gubernandos. Ad divinam autem providentiam pertinent singula quæ ei subsunt, sub debito ordine continere, ut scilicet suum locum, & gradum teneat unumquodque. Lex igitur divina sic homines ad invicem ordinat ut unusquisque suum ordinem teneat: quod est homines pacem habere ad invicem. Pax enim hominum nihil aliud est quam ordinata concordia, ut Augustinus dicit Lib. XIX. de civit. Dei cap. XIIII.

4. Item. (5) Quandocumque aliqua ordinatur sub aliquo, oportet illa concorditer esse ordinata ad invicem: alias se invicem impedirent in consecutione finis communis; sicut patet in exercitu, qui concorditer ordinatur ad victoriam, quæ est finis ducis. Unusquisque autem homo per legem divinam ordinatur ad Deum. Oportuit igitur per legem divinam inter homines, ne se invicem impedirent, ordinatam concordiam esse, quæ est pax.

Hinc est quod in Psalm. CXLVII. 14. dicitur: *Qui posuit fines tuos pacem;* & Dominus dicit Joann. XVI. 33. *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.*

Tunc autem ordinata concordia inter homines servatur, quando unicuique quod suum est, redditur; quod est justitiæ: & ideo dicitur Isaia XXXI. 17. *Opus justitiæ pax.* Oportuit igitur per legem divinam justitiæ præcepta dari, ut unusquisque alteri redderet quod suum est, & abstinere à nocentis ei inferendis.

Inter homines autem maxime est aliquis parentibus

debitur: & ideo inter præcepta legis quæ nos ad proximum ordinant, Exod. XX. 12. ponitur: *Honora patrem tuum, & matrem tuam:* in quo intelligitur præcipi ut tam parentibus, quam etiam aliis unusquisque reddat quod debet, secundum illud Rom. XI. 7. *Reddite omnibus debita.* Deinde ponuntur præcepta quibus præcipitur abstinendum esse à nocentis proximo inferendis; ut neque factis eum offendamus in persona propria, quia dictum est, *Non occides;* neque in persona conjuncta, quia scriptum est, *Non mœchaberis;* neque etiam in exterioribus rebus, quia scriptum est, *Non furtum facies.* Prohibetur etiam ne contra justitiam proximum verbo offendamus, quia scriptum est: *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.* Et quia Deus etiam cordium judex est, prohibetur ne corde proximum offendamus, concupiscendo scilicet uxorem, aut aliquam rem ejus.

Ad hujusmodi autem justitiam observandam quæ lege divina statuitur, dupliciter homo inclinatur: uno modo ab interiori; alio modo ab exteriori. Ab interiori quidem, dum homo voluntarius est ad observandum ea quæ præcipit lex divina: quod quidem fit per amorem hominis ad Deum, & proximum: qui enim diligit aliquem, sponte, & delectabiliter ei reddit quod debet, & etiam liberaliter superaddit: unde tota legis impletio ex dilectione dependet, secundum illud Apostoli Rom. XII. 10. *Plenitudo legis est dilectio;* & Dominus dicit Matth. XXIII. 40. *quod in duobus præceptis, scilicet in dilectione Dei, & proximi, universa lex pendet.* Sed quia aliqui interiori non sunt sic dispositi ut ex se ipsis sponte faciant quod lex jubet; ab exteriori trahendi sunt ad justitiam legis implendam: quod quidem fit dum timore poenarum non liberaliter, sed serviliter legem implent. Unde dicitur Isai. XXXIX. 9. *Cum feceris judicia tua in terra, scilicet puniendo malos, justitiam discunt omnes habitatores orbis.* Alii vero sic sunt dispositi ut ex se ipsis sponte faciant quod lex jubet. Secundi igitur sibi ipsi sunt lex, habentes charitatem, quæ eos loco legis inclinatur, & liberaliter operari facit. Lex igitur exterior non fuit necessarium quod propter eos poneretur, sed propter illos qui ex se ipsis non inclinatur ad bonum: unde dicitur I. Timoth. I. 9. *Iusto lex non est posita, sed injustis:* quod non est sic intelligendum, quasi justis non teneantur ad legem implendam, ut quidam male intellexerunt; sed quia isti inclinatur ex se ipsis ad justitiam faciendam etiam sine lege.

CAPUT CXXIX.

Quod in actibus humanis sunt aliqua recta secundum naturam, & non solum quasi lege posita.

EX præmissis autem apparet quod ea quæ divina lege præcipiuntur, rectitudinem habent, non solum quia sunt lege posita, sed etiam secundum naturam.

1. Ex præceptis enim legis divinæ mens hominis ordinatur sub Deo, & omnia alia quæ sunt in homine, sub ratione. Hoc autem naturalis ordo requirit quod inferiora superioribus subdantur. Sunt igitur ea quæ lege divina præcipiuntur, secundum se naturaliter recta.

2. Præterea. Homines ex divina providentia sortiuntur naturale judicatorium rationis, ut principium pro-

(3) *Al. in hoc & alio.* (4) *Vulgata esse simul.* (5) *Al. Quantumcumque.*